

res, quod si patronus laicus scienter præsentet indignum, et intra juris terminum non variet, seu alium non præsentet, libera collatio devolvatur ad episcopum, qui pro: in casu exspectare potest, donec terminus elabatur, eoque elapso alicui alteri beneficium pro libitu conferre. Joan. Andreas, in *c. Cum vos. de Offic. ordin.* n. 12. et ibi Butr. n. 13. Ratio est, quia præsentare indignum, idem est, ac nullum præsentare, arg. *c. 2. de Translat. episc. et c. de Clerico non resident.* atqui si intra juris terminum, quadrimestre nempe, nullus præsentatur, libere confert ordinarius, *c. un. h. t. in 6.* ergo. Nec tenetur episcopus prius monere patronum de indigno electo, hoc ipso, quod id jam sciat, utpote scienter, ut supponitur, eum præsentans: « Nam eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet, » *c. Eum. 31. de Reg. jur.* in 6.

91. *Si communitati competit jus præsentandi, requiritur, ut omnes citentur et præsentatus habeat majora.* — Quæritur V. Quomodo fieri debeat præsentatio, et cujus præferenda sit, si plures sint patroni, et plures ab eis præsententur? Resp. I. Si plures sunt patroni per modum unius, ita ut unum corpus constituant, prout fit in collegio, capitulo, aut alia communitate jus habente, tunc necessario omnes vocandi ac citandi sunt, adeo, ut si unus tantum negligatur, aut spernatur, præsentatio sit nulla, etsi a reliquis omnibus concorditer fuerit præsentatus. Joan. Andreas, in *c. Quoniam. 3. h. t. n. 4;* Castro Palao, p. II. tract. XIII, disp. 2, pun. 8, n. 2; Sylvester *ÿ. Juspatronatus.* q. 11, n. 28; Lessius, lib. II, cap. xxxiv, n. 54, cum communi arg. *c. Quod sicut, 28. et c. Bonæ. n. 36. de Elect.* Vocatis autem, et citatis singulis debet præsentatus habere majora volantium, quæ si non habet, præsentatio erit nulla. Castro Palao, loc. cit.; Joan. Andreas, loc. cit. n. 3. et ibi Fagnanus, n. 13; Abbas, n. 13; Azorius, arg. *c. Ecclesia vestra. 48. de Elect.* Ratio est, quia alias non erit verum, quod collegium, cui juspatronatus competit, præsentarit, uti tamen requiritur.

92. *Si pluribus ut singulis competit jus, sufficiunt plura vota respectu aliorum præsentatorum, nec requiritur, ut patroni personaliter citentur.* — Resp. II. Si jus præsentandi competit pluribus, non ut communitati, sed ut singulis, ac seorsim sumptis, sufficit, si præsentatus habeat plura, seu majora vota

respectu aliorum præsentatorum, licet non habeat majora, sive ultra dimidium respectu omnium patronorum, arg. *c. Quoniam. 3. h. t. et ibi Fagnanus, n. 13; Barbosa, n. 4; Joan. Andreas, n. 3; Abbas, n. 13; Castro Palao, loc. cit. n. 4; Rota, decis. 568, n. 2, apud Farin. p. 1. Recent. et communissima aliorum, v. g. Si octo sunt patroni, quorum tres præsentant Titium, duo Caium, reliqui tres singuli alium distinctum, valebit præsentatio per tres de Titio facta; dummodo Titius sit dignus, etsi præsentati ab aliis sint digniores, Fagnanus, loc. cit. n. 15; Barbosa, loc. cit. n. 4; Lambert. *de Juspatronatus,* lib. II, q. 4, a 2 et 3. cum Glossa communiter recepta in *cit. c. Quoniam. 3. h. t. ÿ. Majoribus.* Ratio est, quia juxta dicta superius, etsi non semper licita, tamen semper valida est præsentatio digni omisso digniore. Porro non est necesse in tali casu, ut omnes personaliter citentur, uti in præced. num. casu, sed sufficit, si patroni aliunde sufficientem notitiam vacantis beneficii habeant; tunc enim nullus repellitur, et contemnitur a compatronis, sed quivis se ipsum repellit, si non præsentet, ut bene advertit Castro Palao.*

93. *Quomodo sit dignus.* — Dicitur notanter, « si sit dignus; » quia si a majori parte scienter præsentatur aliquis indignus, et a minori parte dignus, hic præferri, et institui debet. Barbosa, in *cit. c. Quoniam. 3. h. t. n. 4,* citans binas decisiones Rotæ, Vivianus, *de Juspatron.* p. II, lib. XI, cap. VIII, n. 12, et alii. Ratio est, quia in tali casu totum jus devolvitur ad præsentatum a minore parte.

94. *Quid juris, si plures a pluribus præsentati in votis sunt pares?* — Resp. III. Si duo, vel plures a pluribus patronis præsentati, in votis sint pares, neuter eorum acquirit jus, nec tenetur episcopus aliquem ex præsentatis, etsi digniorem instituere. Fagnanus, in *c. Cum autem. 24. h. t. n. 23; Abbas, ibid. n. 9; Sylvester, ÿ Juspatronatus.* q. 8; Azorius ac plures alii, contra Joan. Andream, in *c. Cum vos. 24. h. t. n. 3; Innocent. in c. 1. h. t. in fine; Castro Palao loc. cit.; Barbosam in c. 24. h. t. n. 8,* et plures alios docentes in tali casu teneri episcopum unum ex præsentatis instituere, et quidem digniorem, si quis est: si vero æquales sunt meritis, posse pro libitu uni ex illis, non item extraneo gratificare. Nostræ autem conclusionis ratio est, quia ut præsentatio a pluribus facta sit valida, et

§ IV. DE JURE PRÆSENTANDI: AC DE IPSA PRÆSENTATIONE, ETC. 431

præsentatis tribuat jus, debet fieri a majori parte, saltem respectu aliorum præsentatorum, licet non respectu omnium, si patroni non per modum communitatis præsentant, juxta dicta supra num. 92; tum quia in tali casu patroni revera discordant: in casu autem discordiæ liberum est episcopo providere, arg. *c. Quoniam. 3. h. t. ergo.*

95. Infertur, quod si plures patroni ecclesiastici taliter discordant, æqualia vota dando diversis, jus libere conferendi statim devolvatur ad episcopum, qui illico poterit tertio alicui etiam non præsentato conferre beneficium, hoc ipso, quod patroni ecclesiastici non possint variare, *c. Cum autem. 24. h. t.* Si vero patroni laici ita discordant, potest, et debet exspectare, donec quadrimestre elabatur, quo elapso, poterit pro libitu vel unum ex præsentatis, vel tertium eligere, eique conferre beneficium, Fagnanus, loc. cit. n. 25, et seq. Ratio est, quia patroni laici, donec elabatur tempus, possunt variare, per dicta num. 57.

96. Nec obstat conclusioni *c. Cum vos. 4. de Off. ordin.* ubi sententia adversariorum videtur approbari. Nam contra est, quod ibi sit sermo de casu, quo unus idemque patronus simul et semel, vel successive plures præsentat: non item, quo plures præsentantur a pluribus: quam distinctionem non advertunt adversarii.

97. *Et quid, si discordant in præsentando?* — Quæritur VI. Quid juris, si patroni in præsentando, vel circa ipsum juspatronatus discordent, et litigent? Ante responsionem nota, patronos varie discordare posse. Resp. I. Si plures per modum unius (uti in communitate) præsentando discordent, ita tamen, ut unus ex præsentatis habeat majora respectu totius communitatis, præsentatio valet juxta dicta num. 91. Si vero nullus in tali sensu habet majora, sed vota sunt dispersa, vel æqualia, præsentatio erit nulla, juxta dicta num. 91. poteritque episcopus beneficium illico conferre cui vult, etiam extraneo non præsentato, juxta dicta num. 94. vel saltem elapso quadrimestri, si communitas est secularis juspatronatus habens.

98. Resp. II. Si in præsentando discordant patroni, quibus singulis separatim sumptis, et non per modum unius competit juspatronatus; et unus ex præsentatis habeat majora saltem respectu aliorum præsentatorum, etsi

non respectu omnium patronorum, ejusdem præsentatio valida est juxta dicta num. 92. Si vero plures præsentati in votis sunt pares, nullius præsentatio valebit, sed episcopus libere comerre poterit, mod. quo diximus num. 94. et seqq. Quæ, licet jam dicta, pro majori claritate compendiose repetere placuit.

99. *Si patroni litigant super juspatronatus, et litem non finiunt intra juris terminum, libere confert ordinarius.* — Resp. III. Si constat, ecclesiam esse patronatam, patroni autem discordant, et litigant super ipsa proprietate ac possessione juspatronatus, vel quasi possessione illius, nullo existente in notoria possessione ejusdem, et litem intra quatuor (si sunt patroni laici) vel sex menses (si sunt patroni ecclesiastici) non finiunt, beneficium pro ea vice confert ordinarius, ad quem pertinet institutio. Fagnanus in *c. Quoniam. 3. h. t. n. 6; Abbas, in c. Si vero. 12. h. t. n. 3, et in c. Cum propter. 27. eod. n. 2; Barbosa in c. Quoniam. 3. n. 6, in c. Si vero 12, n. 2. et c. Cum propter. 27, n. 2, h. t.; Pirhing, eod. n. 111. cum communi, apertis juribus cit. *c. Quoniam. 3. c. Si vero. c. Eam te. c. Cum propter. 27. h. t.* Ratio est, ne ecclesia propter litem patronorum diu destituta rectore patiatur damnum. Et hæc conclusio ob claram juris dispositionem pugnat contra communem illam regulam, *c. Nec pro defectu, de Elect.* quod tempus impedito non currat: ut bene advertunt Abbas, et Fagnanus loc. cit. Quod si vero non constat, ecclesiam esse patronatam, potest pendente inter duos patronos lite, prout in conclusione, episcopus illico, non exspectato juris termino, conferre beneficium. Abbas in *c. Si vero. 12. h. t. n. 3; Pirhing, eod. n. 112, arg. can. Volumus. cau. 16, q. 4.**

100. *Nisi aliquis sit in possessione, nam talis præsentatio esse admittenda.* — Resp. IV. Si uno existente in notoria possessione lis præcise sit super proprietate juspatronatus, simulque constet ecclesiam esse patronatam, tunc illa præsentatio, quæ fit ab existente in possessione, valida erit; et non obstante lite institui debet, et firmiter manebit præsentatus ab eo, etsi postea a judicio talis patronus succumbat, textu claro *c. Consultationibus. 19. h. t. et ibi Fagnanus, Abbas, Barbosa, atque doctores fere omnes; dummodo talis possessor sit in bona fide.* Ratio est, quia posse præsentare, est unus inter fructus juspatronatus, per dicta supra

num. 66. fructus autem debentur bonæ fidei possessori, c. *Gravis. de Restitut. spoliat.* et l. *Bonæ fidei*, ff. de *Acquirend. rerum dominio*. Attenditur autem ultimus status, seu actus, qui etiam unicus sufficit ad acquirendam quasi possessionem juris patronatus; Fagnanus, loc. cit. n. 16; Garcias, p. V, cap. v, n. 142; Pirhing, h. t. n. 88. et constat ex dictis, supra num. 16. Si vero esset in mala fide, invalida foret præsentatio, et etiam jam institutus removeri deberet, quam primum de ea constiterit. Barbosa, in cit. c. *Consultationibus*. 19, h. t. n. 8; Abbas, n. 4. et Glossa *ŷ. Possidebat*; Menochius, consil. 80. n. 116; Pirhing, h. t. n. 84. Ratio est, quia malæ fidei possessor fructus non facit suos, sed omnes etiam non extantes, seu consumptos debet restituere, c. *Gravis. de Restitut. spoliat.*

101. *Si ante institutionem liquido non constat, eum male possidere.* — Limitatur in casu, quo adhuc ante institutionem factam causa deciditur, vel liquido constat, possessorem carere proprietate juspatronatus, tunc enim valebit, et præferri debet præsentatio illius, qui proprietatem habet juspatronatus. Abbas in cit. c. 19, h. t. n. 9. et ibi Barbosa n. 3. citans Rotam decis. 167. n. 9, p. 2. divers. Pirhing, n. 87. Ratio est, quia proprietas cognita absorbet causam possessionis, eique prævalet, c. *Cum dilectus. de caus. possess. et propriet.*

102. *Possessori præfato non obstat concilium Tridentinum.* — Cæterum non obstat conclusio concilium Tridentinum, sess. 25. de *Reform.* cap. ix, ordinans, quod ad probandum juspatronatus necessario requiratur vel authenticum documentum, vel possessio immemorialis ex actibus multiplicatis; quia concilium ibi non loquitur de casu conclusionis, in quo liquido constat, ecclesiam esse patronatam, et solum controvertitur inter patronos, ad quem pertineat; sed de casu, in quo etiam dubium, et controversia est, an ecclesia parte rei sit patronata, necne: tunc enim omni modo tueri intendit libertatem ecclesiæ contra quam admittit probationem nisi ibidem præscriptam, ut bene observat Fagnanus, in cit. c. *Consultationibus*. 19, h. t. n. 16, et late tradit Garcias, de *Benefic.* p. V, cap. v, a. n. 147.

103. *Durante lite inter episcopum et patronum, non potest episcopus conferre beneficium, sed debet œconomum.* — Quæritur VII. Quid juris? si lis vel controversia non est inter

ipsos patronos, sed inter patronum et episcopum, vel ecclesiam, hac contendente se liberam: vel inter patronum et præsentatos, aut inter præsentatos ipsos? Resp. I. Si est controversia inter patronum et episcopum, hoc pugnante pro ecclesiæ libertate, non currit patrono tempus durante lite, adeoque si lis ante quatuor vel sex menses non finiatur, nequit episcopus aliquem pro libitu instituere, sed debet interea ponere ecclesiæ œconomum, donec lis finiatur. Fagnanus in c. *Quoniam*. 3 h. t. n. 18. et ibi Abbas n. 7, ac Hostiensis, n. 7; Barbosa de *Offic. et potest. episc.* allegat. 72, n. 141. *ŷ. Quintus casus.* citans Rotam, decis. 411, n. 3, p. 1. divers. et in c. *Eam te*. 22 h. t.; Zerola, ac plures alii, arg. *Cum vos. de Offic. ordin.*

104. *Nisi in possessione.* — Limitat tamen conclusionem merito Barbosa in cit. c. *Eam te*. h. t. n. 6. in casu, quo constat ecclesiam non esse patronatam, vel si episcopus est in quasi possessione: si enim litigantibus inter se patronis, præsentatio illius prævalet, qui est in possessione; multo magis deferendum erit episcopo existenti in possessione; eo quod jus præsentandi patronis præcise ex gratia competat, c. 3, h. t. collatio vero ordinariis de jure communi, per vulgaria; jus commune enim difficilius tollitur, quam gratia, aut privilegium, l. *Ejus militis. § Militia. ff. de Milit. testam.*

105. *Pariter conferre non potest existente lite inter patronum et præsentatum, vel inter ipsos præsentatos.* — Resp. II. Pariter non currit tempus Patronis, consequenter non potest episcopus durante ultra quatuor, vel sex menses lite conferre beneficium, si lis est inter patronum et præsentatum, vel inter ipsos præsentatos. Fagnanus, loc. cit. num. 19. citans Rotam; Joan. Andreas in c. *Cum vos*. n. 2. de *Offic. ordin.*; Abbas in c. *Quoniam*. h. t. n. 7; Barbosa de *Offic. et potest. episc.* allegat. 72, n. 41; Castro Palao p. II, tract. XIII, disp. 2, pun. 2, n. 7, cum communi. Ratio est, quia c. *Quoniam*. 3. h. t. et alia jura collationem tempore litis ordinario tribuentia, loquuntur tantum de casu, quo lis est inter ipsos patronos; ergo tanquam odiosa et exorbitantia non sunt extendenda ad casus similes, et si foret paritas rationis. Per ea, quæ diximus, lib. I, tit. de *Constit.* n. 421. et seqq.

106. *Si plures æque digni præsentantur ab eodem patrono, potest episcopus instituere quem vult.* — Quæritur VIII. Quid juris, et

quis institui debeat aut possit, si plures ab unico patrono præsententur? Nota hanc quæstionem esse longe diversam a quæstione V, posita num. 91. Resp. I. Si duo vel plures æque digni intra quadrimestre a patrono laico præsentantur, liberum est episcopo quem velit ex his instituere. Communis ac certa, ob claram juris dispositionem c. *Cum autem*. 24 h. t. et ibi doctores omnes. Textus ibidem sic sonat: «Cum idoneum episcopo præsentaverit, et postmodum alium æque idoneum in eadem ecclesia, quis alteri præferatur, judicio episcopi credimus relinquendum.» Si vero a patrono ecclesiastico plures præsententur, ille institui debet, qui prius fuit præsentatus, cit. c. *Cum autem*. h. t. ibi: «Verum si collegium, vel ecclesiastica persona præsentationem haberet, qui prior est tempore, jure potior esse videtur,» et ibi Barbosa n. 4; Abbas n. 1; Fagnanus n. 1. et alii communiter. Ratio est, quia cum patronus ecclesiasticus non possit variare per dicta n. 57. hoc ipso sola prima præsentatio valebit.

107. *Si non sunt æqualiter digni, tenetur instituere digniorem.* — Resp. II. Si duo vel plures inæqualis dignitatis aut meriti simul, aut successive ab unico patrono laico præsentantur, tenetur episcopus eligere digniorem. Fagnanus in c. *Cum vos*. 24. h. t. n. 28, et ibi Abbas n. 5; Barbosa de *Offic. et potest. episc.* allegat. 27, n. 200; Azorius p. II, lib. VI, cap. xxii, q. 14; Castro Palao loc. cit. pun. 9, n. 3. et communis aliorum contra Joan. Andream, et Hostiensem in cit. c. *Cum autem*. h. t. Ratio desumitur ex textu c. *Cum vos. de Offic. ordin.* ubi tunc præcise relinquitur libertas episcopo, quando æque idonei præsentantur; ergo a sensu contrario, si non æque idonei sunt, debet justitiæ distributiæ conformiter digniorem eligere, arg. can. *Licet ergo*. cau. 8, q. 1. præsertim cum in cit. c. *Cum autem*. h. t. electio relinquatur judicio episcopi, nam verbum *Judicium* sapit discretionem, et boni viri arbitrium, ut bene ibidem notat Abbas arg. c. 2. de *Corpore vilitatis*, et l. *Fideicommissa. § Quantum*, ff. de *Legat.* 3. Quod si tamen omisso digniori, dignum instituit episcopus, valebit, nec attenditur appellatio. Fagnanus loc. cit. arg. c. *Constitutis de appellat. et c. Pastoralis*. h. t.

108. *Quis sit dignior. Remissive.* — Cæterum, quis sit dignior, quamvis judicio re-

linquatur episcopi, tamen videre poteris lib. I, tit. VI, de *Elect.* § 10, n. 233, et apud Barbosam loc. cit. num. 202.

109. *De tempore præsentationis. Remissive.* — Quæritur IX. Quo tempore fieri debeat præsentatio? Resp. De hoc jam constare ex dictis supra a num. 54. ubi vide.

§ V.

DE ALIIS JURIBUS PATRONO COMPETENTIBUS: UBI ETIAM DE ONERIBUS: AC DE CAUSIS, OB QUAS ITERUM AMITTITUR, SEU EXTINGUITUR JUSPATRONATUS.

Ut constat ex versiculis supra n. 66, citatis, plura competunt patrono jura, præsentandi nempe, jus honoris, et alimentationis, quorum primum ac præcipuum, quia jam examinavimus § præced. de duobus reliquis hic videbimus.

110. *Patrono competit honor et præcedentia in ecclesia patronata.* — Quæritur I. In quo consistat, et quomodo competat patrono honor indicatur in versiculis citatis per verba *Honos, et Præsit.* Resp. eum consistere in præcedentia processionis, quatenus ei in Litanis processionaliter cantati aut recitari solitis, et in aliis publicis processionibus locus dignior præ aliis laicis debetur. Item quod in Ecclesia sua patronata debeat honorari in præcedentia honorabilioris sedis, et dignioris loci, atque anterioritate in suscipienda pace, thurificatione, et aliis similibus casibus, arg. can. *Piæ mentis*. 26, cau. 16, q. 7, et c. *Nobis*. 25, h. t. ibi: «Pro fundatione quoque Ecclesiæ, honor processionis servatur,» et ibi Gloss. atque Fagnanus, n. 17; Barbosa, n. 6; item, lib. III. *Jur. Eccles. univ.* cap. xii, n. 214; Abbas in c. *Nobis*. 25, h. t. n. 5, ubi addit, præfatum honorem etiam id importare, quod patrono venienti ad ecclesiam debeant obviam ire clerici, eumque excipere, si est talis persona, cui ratione status id conveniat, ut si est rex, princeps, etc. quod etiam observat Glossa magna in c. un. h. t. in 6.

111. *Non tamen ante dominum territorialem.* — Verum vi honoris præfati non competit patrono præcedentia in ecclesia, et alibi ante dominum territorialem loci, uti bene notat Fagnanus, loc. cit. n. 21, et seqq.; Pirhing, h. t. n. 36, et alii. Ratio est, quia, cum talis dominus in cæteros jurisdictionem contentiosam habeat, utique præ-